

alioquin clara die per auram mirabiliter morietur. Hec Sererius comiti dixit diligenter eum ²⁾ avisando et factus est sibi comiti et omnibus presentibus in derisum. Post paucas ³⁾ autem septimanas congregans comes jam nominatus milites multos, ut veniret in adiutorium excommunicatis hominibus imperatoris Friderici. Cum autem pulchra clara-que die scilicet in festo Sancti Bartholomei apostoli cum suis ad campum pervenisset, venit pluvia cum tonitruo magno. Solum comitem Albertum inter suos equitantem fulmine dominus interfecit. Et sic verba Sererii, que a socio suo mortuo | percepit, deus adimplevit. Comiti Rüdolpho de Habsburg dicas, quia rex futurus erit Romanorum et reges inpu- gnabit vincetque et regnabit annis decem octo, faciet etiam pacem in terra. Per pueros suos amicos sibi plurimos copulabit. Et a tempore Caroli magni non fuit ei similis in gloria, potencia, divitiis et honore. Verum tamen imperialem coronam non poterit obtinere. Dic autem, quod passagium erit et crucem domini multi recipient ad transfretandum mare contra infideles at ⁴⁾ tamen nichil expedient et hoc ultimum passagium Christianorum erit, quia postea flumina maris transire cum multitudine non curabunt ⁵⁾).

24. Aug.

fol. 178r

Tercia propheta sororis incluse

(252,
29—44)

Cum regina uxor Rüdolphi ⁵⁹⁾ regis cum dominabus multis in Reynfelden ⁶⁰⁾ castro cum gaudio comedisset, una earum ad eam dixit: Domina, dicatis nobis aliquid. Que dixit: Dicerem vobis aliquid, si scirem, quid libenter audiretis. Tunc, que quesivit, respondit: Audiremus libenter, quid illa soror inclusa (que super lacum Lucerie ⁶¹⁾ suum domicilium collocavit) dixerit tunc tempore vobis futura de gloria vestra, que deus ei revelaverit. Regina dixit: Intellexi de ista inclusa a multis hominibus, quod esset mulier devota, sancta et honesta et quod dominus deus sibi futura sepius revelaverit. Volens autem ego de me dominoque futura scire veni ad eam in propria persona et eam supliciter rogavi, quatenus dominum deprecaretur, ut sibi revelare dignaretur, quid de domino meo Rüdolpho comite de Habsburg facere decrevisset. Illa soror ex mera humilitate nominabat se peccatricem et indignam, ut deus talem gratiam communicaret sibi. Sed tandem precibus meis devicta acquievit

²⁾ eum *nachträglich eingefügt*³⁾ *Hs.* paucos⁴⁾ *Hs.* ad⁵⁾ Dic autem — curabant*Korrekturzusatz*⁵⁹⁾ *Gertrud, seit 1273 Anna von Hohenberg, gest. 1281.*⁶⁰⁾ *Rheinfelden am Hochrhein.*⁶¹⁾ *Luzerner See.*